

36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

36.

38

ΠΕΝΤΑΣΕΚΥΝΔΑ.

QUÆSTIONUM
PNEUMATICARUM.

Quas

ADSPIRANTE DEO

APPROBANTE AMPLISSIMA
FACULTATE PHILOSOPHICA,

PRÆSIDE

ERASMO SCVLTEO,

SS. Theol. Licentiato, & Professore
Eloquentiæ Ordinario ven-
tilandas suscipiet.

Ad 10. Calendas Maij, horâ locoq; consuetis.

TOBIAS REINHARDUS,
Spandoviensis Marchicus.



Typis ERASMI RÖSNERI,
Anno MDC LIV.



I. *N* detur cognitio, SPIRITUS INCREATI extra SCRIPTURAM? Affirm. Datur aliqua ex Lumine naturæ, quod præter Apostolum ad *Rom. 1: 19, 20. & 2: 14, 15.* docet partim sua quemque conscientia, partim omnium gentium consensus. Lumen illud est partim internum, partim externum. Extendit se hæc cognitio eò usq; ut non tantùm cognoscamus naturaliter, quod DEUS sit: verum etiam ex parte, quæ sint attributa, quæq; operationes: idq; per viam triplicem, *Causalitatis, Eminentie, & Negationis.* *Causalitatis* via in eo consistit, quod cum natura à progressu causarum in infinitum abhorreat, nec quicquam sui ipsius possit esse causa: omnium entium necessariò detur aliquod principiũ primum, quod est DEUS. *Eminentie*, quod quicquid est perfectionis in effectis, id eminentissimo modo causæ primæ inesse oporteat. *Negationis*, quod quicquid est defectus vel imperfectionis in rebus conditis, longissimè à DEO sit removendum. Nec tamen sufficit hæc cognitio naturalis ad salutem: nisi Lumen supernaturalis gratiæ accedat.

II. *An DEI Operatio concurrat cum operationibus omnium Entium in naturâ?* Affirm. eatenus, quatenus sunt Entia, absq; respectu ad *avariam* vitiosam: quia non tantum id testatur Scriptura exemplis in generatione hominis *Job. 10: 8, 9, 10, 11.* in productione herbarũ, *Luc. 12: 28. & c.* verum etiam evincit sana ratio, Cum enim omnia Entia ab ipso dependeant in essendo: fieri aliter non potest: quin etiam

etiam in operando eandem habeant dependentiam. Et in moventibus per se subordinatis inferius non movet nisi motum à superiori ut asserit ipse *Aristoteles lib. 8. Phys. c. 5.* Fit autem hic concursus secundum Thomam *part. 1. qu. 105. art. 1.* quinque modis. 1. Vires & facultates agendi causis secundis impertiendo. 2. Istas facultates sustentando & in vigore conservando. 3. Causas secundas ad agendum applicando. 4. Easdem in agendo dirigendo, & ad fines ipsis sæpè ignotos perducendo. 5. Determinando eas ratione temporis, modi &c. Ita tamen cum causis liberè agentibus concurrat, ut earum libertati nihil decedat. Differt autem hic DEI concursus ab actione causæ secundæ realiter. Etiam si enim unica duntaxat sit actio: tamen modi in operando & interdum fines sunt diversissimi.

III. *An Angeli possint corpora naturalia producere, & immediatè transmutare?* Negatur. Ratio negati primi: quia si producerent: fieret id vel per *creationem* vel per *generationem*. At neutrum ipsis competit. Non *creatio*: quia hæc requirit vim infinitam, & solius DEI est propria. Non *generatio*, quia hæc præsupponit materiam generabilem; atque adeò propria est corporum. Corpora, quæ sibi formant Angeli ex aëre & aliis elementis, non sunt naturalia. Ratio negati secundi: quia transmutatio immediata non minus est DEI propria quam creatio: unde Salvator transmutando aquam in vinum absque ullo medio manifestavit gloriam suæ divinitatis, *Joh. 2. 11.* Mutare tamen quædam possunt mediatè per causas naturales, idque successivè: itemque activa passivis celerrimè applicando ea ita præparare, ut nobis transmutari verè videantur.

IV. *An Angeli boni agant in animas piorum hominum?* Possunt, tum quoad intellectum, tum etiam quoad
volun-

tatem: Sed alio tamen modo quàm DEUS agit, nec nisi instrumentaliter & forinsecus. In intellectum itaq; agunt ita ut excitatis ex objecto viso vel audito sive tùm sive aliàs phantasmatis quod verum & bonum est eidem proponant. In voluntatem verò, quatenus externis rationibus ad bonum ab intellectu apprehensum exequendum hortantur & instar consiliariorum svadent. 2. Quatenus affectus & passiones quasdam in iis piis & sanctis dignas commovent.

V. *An in Angelos bonos cadant affectus?* R. Affirm. Sed tamen non sunt ejusmodi impuri, qualibus nos in hac infirmitate & mortalitate sumus obnoxii, sed puri & sinceri pro ratione angelicæ & spiritualis substantiæ, & pro vitæ coelestis modo. Exprimuntur in scriptura tres; *amor, gaudium, tristitia.* Amore suo complectuntur DEUM, se mutuo, & homines pios, quia in statu suæ integritatis observant legem eandem substantiâ cum morali in spiritualibus: hujus autem summa est amor in DEUM, & fratres: ac præterea docent id obsequia, quæ præstant tùm DEO, tùm pijs. *Gaudium* capiunt ex DEI gloria, hominis salute, ejusq; viâ resipiscentiâ. *Tristitiam* item sentiunt ex peccatis & doloribus, quos pij percipiunt.



prorsus reuertebat. *Corn. Nep. Epamin.* Sic & multò ipse in erogandis donis est promptior quam accipiendis, cum dare præstantius sit quam accipere, & hic qui accipit dantis fiat debitor.

§. 5. Munera verò quandoq; , ne superbus videatur, accipit, & statim compensat, ne eadem accepta in memoria diu retinere, eorumq; commemorationem audire cogatur.

§. 6. Cum & in *Mansuetudine* non parum momenti resideat, eandem quoq; curat sedulò, quod facit, dum calumnias non ulciscitur quashbet, sed potius parvipendit. Conscientiam potius attendere debet quam calumnias, sæpè enim hæc fallunt, illa nunquã. Hoc si observaverit, malevolorum rumor non franget eum, sed potius eriget. Efficiunt enim hi malè loquendo saltem, ut conscientia nobilitatem, quæ optimorum consiliorum atq; factorum testis, in omni vita magis magisq; Magnanimus perspiciat, eandemq; cum *Chrysippo* unicè colat, qui à quibusdam multis affectus contumeliis, adstantes his alloquebatur verbis: *Atq; ego sic vitam degam, ut nemo illis sit crediturus.*

§. 7. In *Iustitia* talem se præbet, ne ob bona fortunæ, vel in distributione vel in commutatione, alteri vel damnum & injuriã inferat, vel illatam magni æstimet: utrumq; enim indignum magno animo, qui opes splendore & honestate æstimat. Semper item pro facultate sua prospicit, unicuiq; ut tribuatur suum, nec aliis, quod magno labore unciatim fermè paravere, universũ eripiatur.

§. 8. Cum autem nulla res magis hominis infringat existimationem, nulla item amplius augeat eam, quàm *conversatio*, meritò magnanimus medium in ea observat, atq; rationem habet eorum cum quibus conversandum. Aliter enim se gerit erga *claros & honoratos*: aliter erga *mediocres & bonos*: aliter tandem erga *plebeios & miseros*.

§. 9. *Priores* cæteris anteponebat omnibus; His enim verè se magnanimiũ ostendere potest, & prædicare quandoq; facta inter eos, quippe quod à generoso ejus animo minimè alienum est. Hi enim cum ipsimet clari, de claris optimè judicare didicerunt.

§. 10. *Mediorum conversationem & bonorum* cum quidem non imi subsellii, nec etiam infiniæ sortis sunt, sed medium statum representant, non ita fugit penitus, sed familiariter cum iis vivit.

B

Hæc

Hac enim re satis probatum dare potest, quam sit virtutis amans & affectuum Dominus.

§. 11. Neq; verò *Conversatio* hæc, ejus honori quicquam detre-
ctat, sed eum potius amplificat. Plurimum enim ipsi attribuunt, i-
ta ut in eum oculos suos convertant unicè, quasi attoniti vel au-
scultando, vel enarrando, ejus gesta magnificantes. Unde non
minimam capere potest delectationem, cum quid virtute sua pos-
sit efficere præsens audiat. Modum tamen ne plus quam licitum
exultet, observet sedulò, juxta *Timoleontis* exemplum: Qui cum
suas laudes audiret prædicari, nihil aiebat, quam se ea in re maxi-
mas Dñs gratias agere, quod cum Siciliam recreare constituissent
tum se potissimum Ducem esse voluissent.

§. 12. *Infimorum* contra *conversazione & familiaritate* non adeò
delectatur sed eam evitat sedulò: præter contemptum enim vix
aliquid post se relinquit: Cum tamen occasio & tempus illud ju-
beant, eam non effugit penitus, ut favorem & admirationem sibi
conciliet, imò ne & ipsi sibi fortes videantur & præconceptum ti-
morem imaginentur in magno animo.

§. 13. Magnanimitatem autem quæ semper circa magna versa-
ri consuevit, quiescere ad tempus jubet, se *modestum iis præbendo*:
Cum quid magnum non intelligant hi, sed potius quod cavillen-
tur inde captent.

§. 14. *Voce* utitur [quamvis & in aliis, tamen præcipuè in hac]
cum *gravitate quadam conjuncta*. Hæc enim mirè animos eorum
movere potest, ut mala quæ moliuntur, in conspectu ejus, timore
quasi perculsi, exercere non audeant, sed potius illud cogitent,
quo honore illum afficere possint & observantiâ.

Thef. 6.

Ad utramq; tandem paratum se præbet fortunam.

Enjeois.

§. 1. Multò enim difficilius existimatur, adversam sapienter for-
tunam ferre, quam secundam: & ea demum optima censenda est
virtus magis quæ elucescit in adversis, quàm in prosperis. In his
enim facilè quis se constantem præbere potest, non autem in il-
lis ita, ubi multa se insinuant obstacula, quæ virtutis ejusmodi si-
mulatæ operationes impediunt facilè.

§. 2. De-

§. 2. Deinde etiam ipsa magnanimitatis hoc jubet natura, quæ ita firma & solida, ut nullis injuriis frangi possit & miseriis, sed potius invidorum dentibus tentata, & fortunæ adversæ fluctibus excitata limatur, & quasi expanso velo navigat ad perfectiora: Nam virtus agitata crescit, & ei non potest multum obesse fortuna, qui sibi firmiter in virtute, quam in casu posuit præsidium. Cic. istud enim viri magnanimi est officium, ut quod fors fert, ferat fortiter, cogitans, sibi quod acciderit ut homini accidisse. Hoc bene Epaminondas Thebanorum Imperator observasse videtur: Hic enim etsi quidem feliciter adversus Lacedæmonios pugnasset, nihilominus tamen, domum rediens, capitis pænâ damnabatur, eò quod diutius imperium tenuisset, ac lege erat permissum: quam legis subire pœnam non negabat, sed mortem parvi-faciens, unicum à populo ingrato petebat, ut in periculo suo conscriberent: Epaminondas morte multatus est à Thebanis, quod eos coëgit apud Leuctra superare Lacedæmonios, quos ante se Principem, nemo Bœotiorum ausus fuit aspicere in acie: Quo prolato, vir ille in utraq; fortuna animo semper maximus, à judicio capitis maximâ discedebat gloriâ. Corn. Nep.

Thef. 7.

Vitia Magnanimitati opposita duo sunt, alterum in excessu superbia, alterum in defectu Pusillanimitas.

Thef. 8.

Superbia est vitium morale, in magnis honoribus medium excedens.

Enjetic.

§. 1. Huic vitio varii Auctores varia imponunt nomina. Mox enim animi fastum, animi elationem, inflationem, mox caninum gloriæ appetitum vocant, quo majore quis se dignum judicat honore, ac virtute suâ promereri potest. Cum verò non ita multum inter se differant, perinde est, hoc ne, an alio vitium expresseris nomine.

§. 2. Peccant autem huic addicti vitio, non tam in alios, quam in se ipsos: In alios, cum sc. eos non solum præ se contemnunt atq; deteriores existimant, quam reverâ sunt: sed etiam, cum cupidè eos elaborare vident, ut præ cæteris dignum virtute sua reportent

B 2

præ-

præmium, deprimere, vel penitus si depressi non succumbunt, è medio tollere manibus pedibusq; allaborant, ne vel honore ipsis pares fiant, vel se detrusis, omnimodè præferantur. *In se ipsos* verò cum honore, quem virtute suâ promeriti, si quem promeriti sunt, non contenti, majores vel vi, vel dolo appetunt: quo tamen nihil aliud sibi quam contemptum acquirunt, aut vitæ suæ exitium, juxta *Pausaniæ* exemplum: Qui cum ob præclarè res gestas Dux deligeretur Lacedæmoniorum, hoc honore non contentus erat, sed multis victoriis elatus, regiam dignitatem appetebant, quam tamen minimè est consecutus, sed magnam potius belli gloriam turpi morte maculavit. *Corn. Nep.*

§. 3. *Signa* verò quibus superba horum stultitia, à quovis facile cognosci potest, cum primis sunt *repentina morum mutatio, & pompa*, tum in vestitu, tum in cibo, immodica, quibus crescentibus omnibus, tandem fortuna, cum ipso honore decrescit: Quæ etiam in supradictò *Pausaniâ* liquido apparebant omnia.

Thef. 9.

Pusillanimitas est vitium morale, circa honores magnos deficiens.

Ἐπιεικία.

§. 1. Hoc vitio laborantes peccant tripliciter. I. *in Deum*; quem honores dum contemnunt, suæ virtuti debitos, graviter offendunt. Eum enim in finem præclarissimis eos exornaverat donis, ut maximis rebus, cæterorum in salutem præesse valeant. II. *In se ipsos*: Hoc enim efficiunt, ut de virtute eorum desperare incipiant alii, atq; præsumant, quod honores, à personâ majestatem habente, oblatos fugere cogantur, vel ob inscitiam & segnitiam, vel ob scelera commissa, quæ non desinunt conscientias eorum nunquam interituris cruciare morsibus. Quin etiam hoc nomine in se peccant, qui ulterius exercitium virtutis effugiunt, torpedini & desidiz fenestram aperiunt, seq; adeò multis bonis defraudant. Denique III. *in proximos*, quos auxilio suo deslituunt, in quod tamen ob præluscentes virtutum actiones, fiduciam suam collocare imò & firmiter sperare poterant. Atq; hæc sufficiant de Magnanimitate dicta.

§. 2.

§. 2. Excipit hanc alia quædam virtus, affinis planè, quam communiter *Modestiam* vocant, definitur verò.

Thef. 10.

Modestia est virtus moralis, mediocritatem observans circa honores mediiores.

Εὐθεσία.

§. 1. Caruit virtus hæc in Schola Peripateticorum proprio nomine, teste *Arist.* l. 4. ad *Nicom.* c. 10. ubi eam vocat mediocritatem nomine vocantem, interim tamè in abstracto tantùm, non verò in concreto: Hujus enim virtutis cultorem vocat vel *μέτριον*, eod. cap. lit. B. vel *σώφρονα* l. 4. c. 7. lit. f. Quo autem apud nos certo quodam nomine à Magnanimitate, vel ab altero extremo suo dignosci possit, vocamus eam *Modestiam*, quod ipsi nomen *Cicero* primus inter Latinos Philosophos indidit, illudq; vel à modo, qui in virtute hac observandus, vel à modio, juxta *Varronem*, derivavit.

§. 2. Sumitur autem vel *Generaliter* & quidem (1.) pro moderato virtutum omnium usu. *Cic.* l. 3. *Tusc.* (2.) pro Temperantiâ. *Cic.* eod. l. 2. (3.) pro humilitate & moderamine gestuum & vestitus corporis. Vel *Specialiter*, ut hoc loco pro virtute circa honores mediiores occupata.

§. 3. Objectum sunt honores mediiores, quos qui ambiunt, observent. (1) ipsos honores qui appetendi. Non igitur altiora quærant, sed intra metas modeste se contineant, ne humeris suis plus imponant quam ferre possunt, atq; ita vel penitus deprimantur, vel aliorum cachinno & risui se se exponant, memores illius *Siracidis*, *Altiora te non quæseris*. Hoc benè *Bias*, unus è septem sapientibus observavit. Hic enim cum aureus ipsi traderetur tripus, cum inscriptione hac, *Sapienti deferretur*, renuebat, dicens, *Non ego, sed Apollo sapiens*. (2) Ipsa media quibus acquirendi. Quæ sunt virtuosæ actiones creberrimæ, utilitate suâ honores merentes, ut *Studia*, administratio *Reipubl.* bona & honesta militia. Non autem *fraus*, *vis* & *largitio*; His enim medijs alij modò deprimuntur, & nosmet ipsi nihil minus quàm honores acquirimus, sed contemptum potius bonorum omnium, cum maximo vitæ nostræ periculo.

B 3

Thef. 11.

Thef. 11.

Extrema huic virtuti opposita sunt ambitio & honorum contemptus.

Thef. 12.

Ambitio est vitium morale, in immodicis honoribus medium excedens.

Ἐκθεσις.

Hoc laborant vitio, (1.) Qui honore digni, tamē plus sibi tribuunt ac virtute suā promeriti, (2.) qui nemini cedere volunt, existimantes se solos esse, quorum valeant nummi, quorum ope status in quo vivunt, quam maximē indigeat: Quā præconceptā opinione obcæcati, præter rectam rationem quosvis honores affectant, eosq; dissentientibus cæteris omnibus sibi sumunt. (3.) Qui quamvis omni careant virtute, tamen honorari, & ubiq; locum tenere principem volunt.

Thef. 13.

Honorum contemptus est vitium morale, circa honores mediores accipiendos deficiens.

Ἐκθεσις.

§. 1. Vitium hoc Græcè vocatur ἀφιλοψυχία. & quandoq; idem est, quod ipsa Modestia. Hos enim qui honores sibi non debitos cum reverentiā quadam, & virium suarum infirmarum præensione renuunt, ἀφιλοψυχίας vocare consuevimus.

§. 2. Quando verò pro virtutis nostræ extremo sumitur, nobis repræsentat. (1.) Ejusmodi Homines, qui ijs honoribus, quos virtute suā promeriti, se indignos judicant, illosq; aspernantur, vel ob intellectus impotentiam, ita ut eorum, benè quæ egerint, planè sint inscij; Vel ob præconceptam opinionem falsam, quasi honores appetere, aut promeritorum se participes reddere, sit illicitum prorsus: Quam mentibus suis ita impressere, ut postmodum nec rationibus, nec exemplis aliorum ab eà deflecti rursus possint. Sic quondam Cynici Philosophi, constantem honorum contemptorem, virtuosissimum judicabant: Quod Diogenes hujus sectæ facile Princeps, suo satis probatum dedit exemplo. Cum enim ipsi aliquando adstaret Alexander Magnus ac diceret. Ego sum
Ale-

Alexander Magnus ille Rex: At ego, inquit, Diogenes Canis, Laert. l. 6. (2.) Ejusmodi, qui quidem nec impotentia intellectus, nec etiam falsis rationibus adducti, honores contemnunt, sed humilitatem quandam Hypocriticam modo ostendunt externè, cum tamen intus sint arrogantissimi & honorum cupidissimi. Sic Anabaptista honores recusant, atq; neminem præferendum esse alteri statuunt, ut populo modo placeant, quos prætextu hoc eò reducunt, ut ultrò citroq; oculos in eos convertant solum, atq; eorum arbitrio omnia dijudicanda concedant. Et ita antea quod præviderunt & exoptarunt, tandem omnibus concedentibus efficiunt atq; liberè usurpant.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

1. Magnanimitas est virtus: Non tamen Heroica Virtus.
2. Magnanimitas & Modestia differunt inter se invicem.
3. Magnanimitas cum Christianâ humilitate non pugnat.
4. Magnanimus injurias omnes recordari & ulcisci non debet.
5. Honores sunt appetendi.
6. Honorum æqualitas non est introducenda.
7. Filius publicâ in dignitate constitutus, Parenti Privato præferendus, quoad & quamdiu in officio versatur.
8. Filius ob scelera à Parentibus commissa honore non est privandus, nisi lex specialis aliud velit.

Corollare.

Philosophia tum Theoretica, tum Practica, Theologo, juris consulto, & Medico est necessaria. Non tamen singulæ disciplinæ omnibus ex æquo.

T A N T U M.

Idolum, vanus quod habet pro numine mundus,
Unum est è multis ambitiosus honor.
Non spernenda tamen laus omnis: facta bonorū
Æstimat, & meritò candida fama canit,
Virtute & studiis laudatis, atq; modestè,
Lili docte, petas, sponte sequetur honor.

l. m. q; scribeb.

Fridericus Reichelius D.

Facult. Philosoph. h. t. Decanus.

Lilius

Lilius ingenuis studiis vestigia patris
Cum laude nititur sequi,
Nos tales studiis meritò complectimur, illis-
Que gratulamur versibus.

M. Martinus Heinsius,
Pastor.

Quando Pudor perit, morumq; Modestia Rectrix,
Ordo Heliconiadum, Luxq; Decusq; perit:
Nunc ubi se Cathedræ spectanda Modestia reddit,
Spes est in vitam quod reditura hominum.
Hanc mihi spem, LILI juvenum flos splendide, gignis
Exemplo plures alliciture probo.
Maeste! Sequare Tui vestigia docta Parentis,
Et Patriam fructus utilitate juva!

Tobias Magirus Prof.
& Facult. Senior.

Divitias animi, Naturæ munera, laudo
queis comites adsunt & Labor & Pietas.
Impiger Arva colis LILI, Pietatis amore
flagras, sic auges ardua Dona Dei.
Hac tria Te magnum reddent, clarusq; vigebis
in terra, & tandem digna brabea feres.

Ita Amico suo honoratissimo
gratulatur

M. Georg Schlieff.

FI N I S.

00 A 6456

ULB Halle
002 929 244


3



R

Worm







36. 38

SECUNDA.

IONUM ICARUM.

TE DEO

AMPLISSIMA ILOSOPHICA,

IDE CVLTETO,

to, & Professore
linario ven-
scipiet.

borâ locoq; consuetis.

INHARDUS, Marchicus.



RÖSNERI, OC LIV.